



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

1. Placido Vehit Amne Vsvrgis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

Non solum, inquit, è Saxonibus abducti obsides principum filij, sed ut eorum vires honestius extenuarentur, multa quoque ex his in Daciam, Pannoniam, diversâsque regiones deducta colonia, quarum adhuc innumera Sarmatiam, ulterioremque Daciam incolunt. Secutus nimirum hac in re Carolus exemplum veterum Romanorum: Tiberius namque ex his ipsis locis, ubi Drusus adversus Sicambros castellum Alisonem posuerat, Sicambros traduxit in Galliam, atque in proximis Rheino agris collocavit. Sueton. in Aug. cap. 23. Quantus autem eorum, quos in Gallias Tiberius trajecit, numerus fuerit; memoriæ prodidit Eutropius lib. 7. Tiberius CCCC. M. captivorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocavit.

HERISTALLVM SAXONICVM in ripa Visurgis.

I. PLACIDO VEKIT AMNE VISVRGIS. Qui Werrha & Fulda, infra Mundam, confluentibus, hoc nomen nactus, usque retinet, dum in Oceanum effunditur, mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, Paterculo, Melæ, Plinio, Dioni, Straboni, Ptolemæo, & Tacito memoratus, cui præcipuè famam suam debet, ut Tacitus Visurgi vitam: *Nam quinque ejus primores Annalium libri inventi Corbejæ, quod Monasterium ad Visurgim est, atque illinc depromptum verè hunc thesaurum Questor quidam Pontificus ad Leonem X. Pontif. A. detulit, donatus ab eo aureis quingentis*

quingentis. Justus Lipsius ad lib. 2. Annal. Taciti, n. 23. Sidonius Apollinaris *Viserin*, ad morem & idioma gentis nostræ, cui *Weser* dicitur, pro *Visurgi* extulit.

Bruëterus ulvosa quem Viseris alluit unda.

Astronomo. Adelmo. Poëtæ Anonym. ad An. 797. & Adamo Bremensi in hist. Ecclesiastica. *WVisura*. Auctori vitæ Caroli M. apud Pithæum. *WVisora*. Regioni. *WVisara*. Scriptori vitæ S. Adalardi apud Bollandum. *WVisra*. Wandeberto in hist. S. Bonifacij, *WVisaraha* appellatur. Nonnulli viri docti, in carmine Ovidij, sive Albinovani, ad Liviam Augustam, *Iturgim* pro *Visurgi* accipiunt. Quod Cluverius improbat, & *Ilargum*, qui amnis est Vindelicæ, legendum ostendit. In Vindelica, & Norico, cap. 6. pag. 747.

2. HIC POSITIS CASTRIS NOMEN HABERE DEDIT. Ita Astronom. apud Reuber. ad An. 797.

Consilium inijt, ut ad conficiendum Saxonicum bellum in ipsa regione hyemaret. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petijt, castrisque super WVisuram positis consedit, & locum castrorum Heristelli vocari jussit. Eadem fermè habet Vita Caroli M. apud Pithæum. Et Novembrio mense mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intravit, positisque castris apud WVisoram fluvium locum castrorum Heristelli vocari jussit. Adelmus ad An. 797. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petijt, castrisque super WVisuram positis consedit. Et locum castrorum Heristallum vocari jussit: Qui locus ab incolis usque in presentia nominatur. Poët. Anonym.

*WVisura positis in littore castris
Sedit, Heristellique locum jussit vocitari,
Hactenus hoc & habet nomen.*

Item